



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 93. Cenomanensis Episcopus a Rege Romam ablegatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.

juriam Ecclesiæ illatam, necnon fidei publicæ sanctitatem, ac Regni libertatem graviter violatam ulcisci velit, præcipue cum Franciæ Rex nunquam sincero animo bellum in Calvinistas movisset, sed eodem omnino tempore cum Angliæ Regina clandestinis consiliis coludens Protestantes Germaniæ Principes, & Navarræ Regem fovisset, quinimo ipsemet Henricus præfatæ Elizabethæ Reginæ auctor existisset, ut inhumana prorsus sævitia Mariam Scotiæ Reginam morti traderet.

§. XCIII.

*Cenomanensis Episcopus a Rege Romanam ablegatus.*

Thuan. i. 94.  
Spond. hoc  
ann. n. 7.  
Davil. l. 10.

Rex ut falsas hæc criminationes dilueret, non modo datis ad Joyosam Cardinalem, Pisanium Marchionem, & Gondium literis coram Papa se excusari rogabat, sed insuper Claudium Angeneum Rambuielletum Cenomanensem Episcopum Romam ablegabat qui etiam die vigesima tertia Februarii eo delatus præprimis cum Joyosa Cardinale, & Marchione Pisano conferebat, & postea unacum illis ad Pontificis alloquium admitti efflagitabat. Hoc Papa perbenigne excipiens, illos cum magna animi moderatione audire videbatur: igitur Cenomanensis Præfatus Sixto



Sixto V. persuadere nitebatur, quod Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.  
 Rex fidei Catholicæ studio plurimum  
 flagrans, majori quam unquam ardore  
 bellum contra hæreticos prosequi de-  
 crevisset. Postea immane facinus Ble-  
 sis perpetratum excusaturus hæc sub-  
 junxit: „interfectus Cardinalis Guisus  
 „de perduellionis crimine convictus fuit,  
 „atque in hoc eventu omnes Franciæ  
 „Ecclesiastici, cujuscunque dignitatis  
 „sint, profanæ jurisdictioni subjiun-  
 „tur, præcipue vero Franciæ Pares,  
 „qui nullos alios Judices agnoscunt  
 „præter Parisiensem Senatam ex Pari-  
 „bus, Regni Ministris, stabilitisque Ju-  
 „dicibus conflatum: equidem Rex juris  
 „formam, præscriptumque pervertit,  
 „dum Guisum Cardinalem nec audi-  
 „tum interfici jusserat: ast hæc culpa  
 „in Regis Senatam rejicienda venit:  
 „de cetero Rex hac occasione Ecclesia-  
 „stico Tribunali nullam injuriam in-  
 „tulit.

His dictis Præsul fufius exaggerabat mala a foederatis illata, nec non obstacula bello contra Protestantes inito a Guisiis opposita: affirmabat etiam, quod omnes Proceres, cunctique ferme Nobiles Regiam suam Majestatem defendere parati essent adversus agmen quorundam seditiosorum, qui non nisi ad evertendam Regiam auctoritatem

Uu 5

conspi-



**Sæcul. XVI.** conspirant: insuper exponebat, quod  
**A.C. 1589.** Regi haud deessent copiæ, cum præter regium exercitum a vicinis Principibus sibi foedere junctis, quibus communis cum eo causa vertitur, auxilia sperare valeat, de cetero autem ejus hostes sub frivolo sacri foederis obtentu in ipsos etiam Catholicos arma vertent, pluresque Picardiæ, & Provinciæ Urbes, in quibus Calvinistarum nomen nequidem cognitum erat, sibi subjecerint, notumque esset, quod iidem etiam Lutetiæ, & in conspectu Regis fidem subditorum sollicitassent, secretasque coitiones habuissent, ac cum exteris Principibus gallico nomini infestis consilia agitassent.

His addidit: „sciunt omnes, quæ  
 „consilia Catalauni in Suesionibus, &  
 „in ipsa urbe Parisina contra Regem  
 „Regni tranquillitatem agitata fuerint:  
 „nemo etiam ignorat, Guisium Ducem  
 „quamvis prohibente Rege, cujus  
 „jam pridem auctoritatem flocci facere  
 „& imperia spernere per morum licentiam  
 „didicerat, Parisios venisse, & adventu  
 „suo omnia suscipere, deque miscuisse,  
 „tunc Rex ad eam deductus erat necessitate,  
 „ut tunc, si se, regnumque saluum  
 „cuperet, perniciem ipsi ab illis  
 „imminentem nonnisi ipsorum cæde  
 „evitare posset, quapropter potius  
 „ex



„ex necessitate, quam ex propria vo- Sæcul. XVI.  
 „luntate eos trucidandi consilium in- A.C. 1589.  
 „vitus cepit. „

## §. XCIV.

*Papæ responsum ad Cenomanensis  
 Episcopi sermonem.*

Hunc Cenomanensis Episcopi sermo- Thuan. l. 94.  
 nem Pontifex benigno vultu, ac  
 oratione temperata excepit, & tandem  
 verba faciens hæc respondit: haud multa  
 „differere volo de morte Guisii Ducis;  
 „scio equidem, quod is Regis subditus  
 „fuerit, & Rex tanquam necis, vitæ-  
 „que potestatem in suos habens arbi-  
 „trio suo de ipso pœnam statuere potue-  
 „rit, interim tamen judiciorum Ordo  
 „in eo negotio servari debuisset; ast de  
 „Cardinalis cæde, qui non Regis, sed  
 „ipius Pontificis, & sacræ Sedis sub-  
 „ditus erat, mihi satisfieri peto, nam  
 „Cardinales omnes a Principum juris-  
 „dictione exempti, soli Pontifici subji-  
 „ciuntur, atque ad id Archiepiscopi,  
 „& Episcopi solemni jurejurando, quod  
 „ineundæ dignitatis auspiciis præstant,  
 „obligantur: „ postmodum multa de  
 Cardinalium prærogativa, libertati-  
 bus, & immunitatibus magnifice elo-  
 quebatur Pontifex, ac tandem oratio-  
 nem suam absolvens hæc subjecit: „Rex  
 „Henricus III. ob interfectum Cardina-  
 lem